

1186.

1297.

Stockholm.

Konung BIRGERS stafästelse på föregående Fru Ingeborgs bref.

A. 7. 1.

BIRGERUS dei gracia sweorum Gothorumque Rex Omnibus presentes litteras jnspecturis salutem in domino sempiternam Potencia principum recipit incrementum si fuerit in subditorum negociis fructuosa. Hinc est quod notum facimus per presentes Quod constituta in presencia nostra nobilis mulier domina Ingiburgis filia quondam domini vlphonis Karlsson vxor strenui viri Domini aberni syxtenssons nostra dilecta consanguinea maiestati nostre regie notificare curauit ipsam non minis aliquibus vel blandiciis seu precibus illectiuis inducta sed Magna beniuolentia & quadam sincera dilectione mota ex sua mera & plena suorum propinquorum voluntate dedit eidem dilecto marito suo domino A curias suas scilicet clastadha haroxstorp ac eciam haranes cum omnibus earundem curiarum attinenciis agris videlicet pratis nemoribus molendinis & molendinorum locis pascuis & piscariis infra sepes & extra longe vel prope positis A . . . jure irreuocabiliter & perpetuo possidendas prout in patentibus litteris super hoc confectis non rasis non abolitis non cancellatis nec in aliqua parte sui viciatis in audiencia nostra lectis sigilloque nostro ad ipsius instanciam sigillatis plenarie continetur in hec verba Omnibus &c. *Se föregående N:o 1185.* supplicans eadem domina . . . nostre maiestati humiliter & instanter quatenus eandem donacionem predictarum curiarum confirmare dignaremur vnde cum in omnibus iustis possibilibus & honestis petitionibus & instanciis fauorabilem consensum & facilem prebere debeamus & velimus prout regie semper conuenit maiestati Supradictam donacionem in qualibet ipsius parte ratam & firmam perpetuis temporibus esse volentes prout superius actum est ipsam presencium serie litterarum auctoritate regia confirmamus Inhibentes firmiter nihilominus & districte sub optentu nostre graciae, Ne quis nunc aut in posterum sepedictam donacionem aliquo modo impedire vel quomodolibet audeat irritare quominus robur habeat perpetue firmitatis In cuius facti perpetuam nocionem presens scriptum cum sigillo nostro, ac sigillis venerabilium patrum ac dominorum archiepiscopi & suorum suffraganeorum aliorumque magnatum de consilio nostro fecimus roborari Datum stokholmis anno domini M°, CC°, XC°, septimo.

Af sigillen 2, 5—9 samt det sista, större och mindre stycken kvar; af 1, 3, 4, 10, och det näst sista, remsorna kvar; efter 11, hvars remsa bortfallit, är ett stycke af brevets nedra kant, tillika med de derå varande sigill, bortfrätt. Brevet är på flera ställen utplånadt och i allmänhet mycket utblekt.